Celeberrimo ac doctissimo Viro, Gottlieb Cortio, s. p. d.

Carolus Andreas Dukerus.

Diu est, quod nihil ad Te literarum dedi, non oblivione Tui, sed quod nullum magnopere argumentum scribendi habebam, et quod mihi totum feriarum aestivarum prioris anni tempus hospitibus domi excipiendis, et nuptiis propinquorum conviviisque celebrandis periit. Nunc causam scribendi nactus e praefatione Schroderi in Senecam Tragicum, cujus illam partem, quae ad me pertinet, Tibi descriptam misi, quod librum nondum publice venalem prostare audio, diuturnum silentium rumpam. Vides quibus Titulis furiosus ac superbissimus magistellus me in ea exornet: cujus irae causam ut cognoscas, totam rem ab initio narrabo. Quum ante octo admodum annos hic in synedrio ecclesiastico, quod Consistorium vocant, presbyteri munere fungeretur, Seniorem hic dicunt, eodemque tempore in locum Ecclesiastae mortui, ni fallor, alius subrogandus esset, ostensa sibi a quodam diversarum partium spe annuorum, quae tum octingentos flor. Holl. habebat, ducentis aliis a Magistratibus nostris augendorum, amicis non satis fidus fuerat, et cum altera parte consilia communicaverat, ac tamen deinde a promissore illo delusus carbones pro thesauro tulerat: quae partim ipse, partim alii e synedrio mihi tum retulerunt. Vacabat tum forte praefectura Gymnasii Delphensis, cui quum Rectorem Magistratus Urbis illius quaererent, tenebrio a quodam amico suo, Senatore Delphensi, inter alios nominatus fuerat. Habebam et ego ibi tum amicum, itidem Senatorem, qui si viveret, ne hiscere quidem ausus fuisset nebulo, sed Schrodero, quod ego ignorabam, minime faventem. Hic quum de eo ad me scripsisset, honorificum ejus dexteritati in docendis pueris testimonium perhibui; sed quod mihi et aliis bonis artes, quibus usus fuerat, non placebant, addidi hominem numerosam familiam liberorum habere, et in re non lauta esse, ejusque amplificandae causa nuper consilium iniisse, cujus eum, si spe Delphensi excideret, aliquando poenitere posset, quibus verbis intelligi volebam, non exiguam partem Magistratuum ab eo offensam, et animum illius aliquanto memorem

69v

futuram esse. His literis acceptis amicus meus, qui alium ad praefecturam Gymnasii admotum cupiebat, pleno Senatu, non nominato tamen auctore, dixerat, sibi scriptum esse eum propter egestatem rei familiaris consilium iniisse, quod virum probum et honestum nequaquam deceret, einem ehrlichen man nicht gezieme. Non defuerunt, qui hoc in Senatu dictum Schrodero renunciarent, et homo ea re cognita confestim perturbatus ad me adcurrit, quaerens an scirem a quo haec scripta essent. Negavi me scire, nam et verum erat, illa quae dicta erant, a me profecta non fuisse; sed quod amici mei immodestiam atque imprudentiam odorabar, sive mora ad eum scripsi, mea interesse, ut ad me perscriptum mitteret totum illud caput epistolae meae, quo de Schrodero egeram. Quum misisset, Schrodero totam rem exposui, et ipsi epistolam illam, quam nunc etiam adservo, cognoscendam dedi, ac dixi, non debere eum amici mei culpam in me conferre: nam verba mea aliter, quam ego scripseram, in Senatu relata esse, nec alio pertinere, quam ad illam, quam dixi, Magistratuum offensionem. Huic ille orationi meae tum adquiescere videbatur, nec ullum deinde alienati a me animi signum dedit, nisi quod in Oratione, quam Delphis in auspicio novi muneris habuit, me verbo, sed tecte, perstrinxit. At nunc tandem furor erupit, postquam superiore aestate Bibliopola, qui hic singulis hebdomadibus ephemerides literarias vernaculo sermone conscriptas publicabat, in una earum, in qua de me et Collegis meis Ottone ac Drakenborchio quaedam legebantur, de Schrodero scripsit, non magnam de illius Seneca Tragico exspectationem esse, et alia quaedam de Notis illius in Epistol. Ciceronis, deque Editione Epicteti parum illi honorifica. Hoc eum tam male habuit, ut, quum illa Bibliopolae a me suppeditata putet, et de eruditione sua magnifice sentiat, tam atrociter in me invectus fuerit, ac si facinus brevibus Gyaris et carcere dignum admisissem. Equidem multa virorum doctorum scripta adversaria vidi, in iisque non pauca petulanter, acerbe, et contumeliose dicta legi; sed numquam quemquam tam brutum, aut honestati publicae ac decori tam immemorem cognovi, qui ob privatam inimicitiam ac simultatem adversarium integrae famae atque existimationis, impium ac nequissimum hominem adpellare sustinuerit. Si liber finibus Belgii nostri contineri posset, non dignam haberem tantam belluam, cui aliquid reponerem. Nunc quia in exteras oras, in quibus nemini notus sum, exiturus est, video me quantumvis invitum, coactum iri respondere, quae mihi ad rem pertinere videbuntur: idque faciam ~~[illegible]~~ Thucydidem prodibit, in cujus Praefatione eum e virtutibus suis ornabo. Tu quid Te in hac re facere par sit, ipse videbis; ego nihil a Te peto, nisi hoc Commici, quoniam solus mihi confecisti has nuptias, corrigere mihi quatinum porro emitere. Habes pulcherrimam illius rei narrationem. Nam ita aridae, jejunae, et elumbes sunt scenae, quanquam paucae in admodum spisso volumine, illius Adnotationes, ut facile adpareat, eum, qui de illius in Tragicum Latinum opera non maximam opinionem habuit, nequaquam vanum vatem fuisse, et fungum illum neque a veterum Scriptorum, neque a recentium Critico-

eorum lectione instructum esse, aut ullum ad bonos Auctores edendos appara-
tum habere, praeter [illegible] insitam, cujus nomine tam male
audiunt populares illius, ut vulgo a vicinis Clivensibus et Marcanis folles
Vesalienses vocentur, et insolentem studiorum fiduciam, quam sibi ex eo adre-
psit, quod, postquam e desertore Theologiae, cui in Academia omne tempus
impendit, ludimagister factus est, mediocrem sibi latine scribendi facultatem
comparavit. Neque tamen hoc dissimulare apud Te possum, praeter omnem
exspectationem mihi accidisse, quod Bibliopola, quum ad eum expostulatum ve-
nissem, cur de me prodidisset, quae numquam mihi in mentem venerant, mihi epheme-
ridem vernaculo sermone apud vos editam ostendit, e qua ille omnia bona fide de-
scripta ad verbum Belgice verterat. Obstupui, fateor, quum eam legerem, improvi-
sum aspris veluti qui sentibus anguem Pressit humi nitens. Et vereor nonnihil, ne
deinde etiam gravior in me incumbat invidiae tempestas. Nam et Otto noster indignis-
sime tulit, quae de Primis his lineis scribebantur, et me statim suspectum habuit.
Quamquam autem vere adfirmare possum, illa et hic, et alibi, me inscio vulgata esse,
et verum est Apollinem Delphensem non sedisse in tripode, quum ea meo instin-
ctu a Bibliopola ephemeridis scriptore publicata divinabat; tamen non multis
verbis opus esse puto, ut Tibi persuadeam, mihi non magnae voluptati esse,
quod his molestiis nulla mea culpa involvor: nisi forte quis culpam esse putet,
nimiam aliquam apud amicos simplicitatem. Ingressus sum superiore mense Decem-
bri LVIII. annum aetatis, ac toto illo tempore numquam adhuc cum ullo homine
inimicitiam exercui, numquam quemquam in jus vocavi, aut vocatus veni,
numquam juravi, aut a quoquam ad testimonium in judicio dicendum citatus
fui. Etiam cum plurimis, iisque honestissimis, omnisque ordinum viris ver-
satus sum, et cum omnibus, uno excepto, ad hunc diem sine querela vixi;
quae omnia semper in magna parte felicitatis deputavi. Nunc mihi senecta prope
aetate alastor ille, et impudentissimus canis exortus est, qui sibi tranquilli-
tatem meam turbandam, et me publico convicio, haud secus ac si fur, aut la-
tro, aut sicarius essem, lacerandum ac proscindendum sumserit. Ego etsi na-
tura ab hujusmodi contentionibus abhorreo, tamen non impune, si vivo, me lacessi-
verit. καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα, de quibus Te ob caussam, quae Tibi ignota esse
non potest, celare non volui. Novi, quod ad rem literariam pertineat, non mul-
tum habeo. Quid Burmannus nunc moliatur non pro certo dicere possim, nisi
quod credo eum in manibus habere Suetonium, quem se in forma octava, cum vari-
is lectionibus, Graeviique et suis Animadversionibus editurum esse dudum
mihi dixit. Nam Editionem veterum Epigrammatum Latinorum Pithoei differet,
donec prodierit Gratius, cum aliis, si recte memini, Cynegeticorum Scriptoribus
quos brevi exspectamus. Torrenius occupatur in Eroticis Xenophontis Ephesii.
Otto noster sub prelo habet Institutiones Justiniani cum Animadversionibus Cri-
ticis. Drakenborchius Livium suum typographis nondum tradere potuit, quod
Principi Nassovio Historiam patriam exponit, quae res illi non parum temporis
eripit. In Thucydide operae partim sua, partim mea culpa, quia in multis occu-

patronibus non semper ad illorum voluntatem paratus esse possum, lente procedunt. Tamen iam duo libri cum initio tertii impressi sunt. Bentleium primo rumor fuit Burmanno responsurum, et suas in Phaedrum emendationes et coniecturas defensurum. Nunc enim mutato consilio Burmanni curas Ovidianas castigaturum ferunt. Io. Corn. de Pauw in animo habet edere Philen de Animalium proprietate. Sed moram Editioni iniicit, quod nusquam invenire potest Edit. Aldinam. Si nobis eam aliunde eruere possis, rem facies utrique gratissimam. Arnoldus quidam adolescens,† nuper editis in Frisia Animadversionibus Criticis, quaedam illius in Hephaestionem refutavit, sed perperam, si Editori Hephaestionis credimus. Nam ipse nondum potui Animadv. illas legere. Hannegieterus Rector Gymnasii Arenacensis, vir bonus, et non indoctus, prelo paratas habet Animadversiones in Avienum, sive, ut ille putat, Avianum, deinde Festum adgressurus. Lucanum Oudendorpii non dubito quin videris. Quid de illo iudicaturi sint Lipsienses vestri exspectabimus. Ammonii variantes lectiones, quarum mihi spem fecerant Sallierius et Sevinus, nondum nancisci potui, non tam illorum negligentia, quam quod omnes libri MSS. Biblioth. Reg. adhuc indigesti et incompositi iacere dicuntur. Sed et res moram patitur: nam non potero ante absolutam Edit. Thucydidis ulli alii Scriptori manum admovere. Tu, si quid in Germaniae publicis aut privatis Bibliothecis latere scias, quod mihi ad Grammaticum illum emendandum usui esse possit, id ut mihi impetrare coneris etiam atque etiam rogo. Mascovium vestrum inter eos nominari audio, quos Curatores Acad. Harderovicenae docendo in Acad. sua Iuri civili idoneos esse putent. Est ille, quantum ex iis, quae de Sectis Ictorum scripsit, intelligere potui, vir sane quam eruditus: sed vix credo quemquam e Germania Harderovicam venturum, nisi fortassis ob spem non omnino incertam lautioris conditionis in hac aut Leydensi Academia. Nam propediem hic magna nobis penuria erit eorum qui Vetus Ius Romanum bene docere possint. Annus prope est, quum e Clar. Drakenborchio intellexi Tibi Professionem Iuris in Academia Lipsiensi demandatam fuisse. Mirabar, quare me hoc tantum arcanum ignorare voluisses. Sed tamen gratulor Tibi eum honorem et feliciter evenire volo. Sera gratulatio reprehendi non solet, ut praecipit Tullius noster. Vale.

III. Kalend. Febr. CIƆIƆCCXXVIII. Trajecti ad Rhenum.

† discipulus Hemsterhusii,

42.b 71

Sed nec quoque tam abjecte de me sentio, ut reponendum quicquam esse putem famelico ephemeridis nuperae consarcinatori, qui Tragico nostro, antequam is publico se committeret, obscaevare non sit veritus, inductus, ut videtur, ab obscuro alastore. Satis erit si dixero, risisse me Trajectino Gymnasio cum praeessem, Zoili istius difficiles putidasque nugas; quin et post meum inde discessum sprevisse

NB. <u>impii ac nequissimi hominis</u> stolidam iracundiam, qui fortunas meas famamque dolosa criminatione cum peteret, dedisset se turpissime, postquam vanitatis adfectatae manifestus tam praeclaris annis excidisset.

haec alio charactere impressa sunt.

At vide quid speratus <u>Varilectionarii Thucydidei</u> titulus efficere possit, cum tantum nominis decus sibi bellus homo non aliunde, quam ab insana eruditis quibusdam viris detrahendi libidine, mutuandum esse duxerit.